



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Decretum de inchoando Concilio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

SESSIO PRIMA,  
SACROSANCTI OE-  
CVMENICI ET GENE-  
RALIS CONCILII TRI-  
DENTINI,

Sub Paulo III. Pont. Max.

CELEBRATA DIE XIII.  
MENSIS DEC. ANNO  
DOM. M. D. XLV.

Decretum de inchoando Concilio.

**P**lacetne vobis, ad laudem & gloriam  
sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris  
& Filij, & Spiritus sancti, ad incre-  
mentum, & exaltationem fidei, & religionis  
Christianæ, ad extirpationem heresum, ad pa-  
cem, & vnionem Ecclesiæ, ad reformationem  
Cleri, & populi Christiani, ad depressionem,  
& extinctionem hostium Christiani nominis,  
decernere, & declarare, sacrum Tridentinum  
& generale Concilium incipere, & inceptum  
esse: Responderunt, Placet.

Indictio futuræ Sessionis.

Et cum proxima sit celebritas Natiuitatis  
Domini nostri Iesu Christi; & subsequantur

alio

alie festiuitates labētis & incipiētis anni; placetne vobis primam futuram Sessionem habēdā esse die Iouis post Epiphaniā, quæ erit septima mensis Ianuar. anno Domini M. D. XLVI. Responderunt. Placet.

SESSIO SECUNDA,  
CELEBRATA DIE VII. MEN-  
SIS IANVARIJ,  
M. D. XLVI.

Decretum de modo viuendi, & alijs in  
Concilio seruandis.

**S**acrosancta Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea presentibus eisdem tribus Apostolica Sedis Legatis, agnoscens cum B. Iacobo Apostolo, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre. a Iac. i. luminū qui ijs, qui postulat, à se sapientiam, dat omnibus affluenter, & non impropereat eis & simul sciens, quod b initium sapientiæ est timor Domini, statuit, & decreuit, omnes & singulos Christi fideles, in ciuitate Tridentina congregatos, exhortādos esse, prout exhortatur, ut se à malis & peccatis hactenus cōmissis emendare, ac de cetero c in timore Domini ambulare, & desideria carnis non persicere, orationibus instare, sepius cōfiteri, Eucharistiæ sacramen- c Prou. i. & 9.

cramen-